

LXV. 111.
99
27
3

DISSERTATIO JVRIDICA IN AVGURALIS
DE
POSSESSIONE
NON TRANSEVNTE

QVAM
ANNVENTE DIVINA GRATIA *1707, 19^a*
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPAE AC DOMINO
DN. GUILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, AC MONTIVM
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, ET RELIQVA
EX DECRETO ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICÆ
IN ALMA SALANA
PRÆSIDE
DN. IO. PHILIPPO SLEVOGTIO

CONSILIARIO SAXONICO, ET ANTECESSORE, FACVLTA-
TIS IVRIDICÆ ET SCABINATVS SENIORE, NEC NON
CVRIÆ PROVINCIALIS ASSESSORE GRA-
VISSIMO

PRO LICENTIA

*SVMMOS IN VTRQVE IVRE HONORES LEGITIME
CONSECVENDI*

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

IOH. ADAM. CLEMEN

SCHMALCALD. HASS.

D. Mart. M. D CC VII.

I E N Æ,
Stanno MULLERIANO.



DISSEGRATIOTI VENDEZIA MONAVARIS

V I R O

EXCELLENTISSIMO CONSVLTISSIMO QVE

D O M I N O

**JOH.CASPARO
CLEMEN**

J. U. D.

SERENISSIMO LANDGRAVIO HASSO-
CASSELLANO A CONSILIS RERUM
METALLICARUM

PARENTI PIO SEMPER OBSEOVIO
COLENDO.

JOH. CASPARO CLEMEN



PARENTUM in liberos tanta esse beneficia, ut illa digne compensandi nemini unquam satis facultatis ac virium suffpetat, tam manifestum natura ipsa fecit, ut quamvis hebetes ac rudes cogantur agnoscere. Præter hoc enim, quod quam accipit quisque & agit vitam, post DEUM, auctorem rerum omnium, genitoribus suis debet: etiam ut commode ac jucunde, & quod longe ista superat, ut recte, & tam publice quam privatim aliis utiles vivere possumus, parentum amori, curis, laboribus sumtibusque adscribendum est. Sed nec minus quotidianis atque ardentissimis eorum ad DEUM precibus: impime, ut gravissimis sepe in periculis servemur incolumes, & contra inumeras muniamus corruptelas. Quis tam fortunatus igitur, ut pro his meritam parentibus reddat gratiam? Illud unum quilibet, etiam inops, & cuiuscunque sit etatis, paratum habere semper potest, ut pro eorum supplicet vita ac salute, totum se ad sui amantissimorum nutum singat, & tam sublati viventium numero, quamsuperstitibus, perpetuum praestet honorem atque pietatem. Hæc ego reputans, venerande PARENTS, quantisque à te beneficiis à tenera etate cumulatus, quin obrutus fuerim, memori mente

A 2

revol-

PR 9



revolvens, id pro virili & sollicite hucusque egi, ne
ulla in re debita tibi pietatis magnitudinem ignorare, &
officii mei rationem negligere viderer. Itaque ut cate-
ra omittam; postquam addictum me litterarum, &
cumprimis Jurisprudentiae studiis, Academiae huic in-
clyta dare nomen iusisti: illuc direxi cogitationum,
actuumque meorum cursum, ut de consilio tuo & fa-
cto nullam unquam habeas pœnitendi causam; sed be-
ne collocatum esse, quicquid mibi erogasti impendii,
potius securus gaudeas. En ecce publicum industriae,
& pariter præmiorum, ab illustri J.C.C. Collegio
mibi decretorum, documentum & pignus. En ingenii
non neglecti, nec incultu silvescentis specimen, DEO;
Patriæ, & universe tandem hominum usibus conse-
crati paratiqe! Hoc tibi do dedicoque, venerande
PARENTS, non ut vel minimam partem aris, quo tibi
obstrictus sum, solvam; sed ut propalam testor deside-
rium, & ingentem significandæ tibi haud ingratae mentis
ardorem. O faxit Numen, ut diu inter his rebus hu-
manis; diu superstiti multorum esse queam argumen-
tum gaudiorum; feramque hanc semper pulcher-
rimam, filii pii & obsequiosi laudem!

PRO-





PROOEMIUM.



N eligendo inauguralis disputatio-
nis themate, quod tractarem, diu
hesitavi, donec sese obtulit de,
Possessione non transente insigne
argumentum. Evidem pluri-
mas dissertationes, ius possessio-
nis & materiam explicantes, pas-
sim invenias; de transitione au-
tem possessionis paucissima, more academicarum ex-
ercitationum consignata & ventilata, occurunt. Quapropter, quum frequentissimae sint disceptationes, de
possessione, ejusque acquisitione: motus utilitate rei,
de transitu possessionis pro virili constitui differere.

S. I.

Transitionem hanc minus recte explicare licet,
nisi prius ostendamus, an, & quid sit possessio, quo-
tuplex, & alia generalia, quæ ad meliorem thematis
intellectum ac decisionem faciunt. Necesse enim est,
existentiam & essentiam rei scire, priusquam de in-
teritu, amissione, transmissione loquar. Sicheres an-

A 3

& quis



& quis existat, prius scire debemus, antequam de adi-
tione hereditatis, tanquam effectu, item de ejus trans-
missione agamus.

§. 2.

Possessionem autem existere, docent prædicata-
dum illam acquirere, retinere, transmittere, amitte-
re, recuperare dicimur; & qui possessionem habet,
inde possessor appellatur. Possessio vel ut nomen fa-
cti spectatur, vel ut nomen juris. Ita coepit per pri-
morum parentum, & ex illis natorum, occupationem.
Posterior ex jure occupandi, quod in rebus nullius ju-
re naturali, sive uti Justinianus appellat, gentium, cuivis
competebat. Quod enim quis semel occupaverat, non
nisi per injuriam invito eripiebatur. Antea quam res
quaque occupabantur, actu in nullius erant dominio,
ut pro lubitu illis uti liceret. Quod Grotius lib. II.
cap. II. §. 2. de Jur. Bell. ac Pac. factum vult per pactum
tacitum: ut qui eripit, quod occupaveram, contra
obligationem, ex fide tacite data enatam, facere censem-
atur. Occupata hac illaque re, qua hucusque nullius
fuerat, credebantur reliqui jus occupandi, sibi itidem
competens, remittere, ex pacto illo tacito; immo qua-
si pro derelicto rem tantisper habere. Tum de-
mum autem acquirebatur ab occupante dominium,
si possidere rem incepere animo sibi habendi. De-
feris animalibus vid. §. 12. I. de R. D. Possessio igitur
ista est causa proxima dominii, & ex eadem domi-
nium præsumitur, donec probetur contrarium. I. 8. §.
3. S. S. V. Alio sensu dominium ex naturali possessio-
ne coepisse dicitur II. §. 1. D. de A. V. A. P. minor
et up §. §. 3. Ut

Ut ad Etymologiam convertamus possessionem, aliqui à pedum positione derivant. Quam derivationem non adeo rei inconvenientem esse, putant *Giphian. ad l. i. D. de A.V.A.P. & Cajac. ad dict. l. i.* Imo *Jason* ad hanc l. i. pr. ex his duabus rationibus defendit: (1) quod pedes sint fundamentum corporis; (2) quia per ingressum prius pedibus res immobiles occupamus. Alii vero rejiciunt derivationem hanc, manifestaque à sedum positione possessionem dici: quia res naturaliter tenetur ab eo qui ei insistit *l. i. pr. D. de A.V.A.P.* Insistere autem non denotat semper praesentia sua rei inhärere, sed potius continuare velle acquisitam possessionem. Alias rerum, quas olim quis occupaverat, nec semper corpore posidebat, possessionem amisisse diceretur. At vero possessio semel per actum naturalem acquisita, animo retineri potest. *Mev. p. 6. dec. 172.* Huic etiam opinioni convenit vocabulum germanicum *bēsigen*. Magis igitur arridet hæc sententia: cum animus rei insistendi magis presumatur in eo, qui rei insidet; quia id aliquam commorandi voluntatem arguit; quam qui pedes ponendo simplicem transeundi animum ostendere videtur.

Possessionis definitionem tradituri prius varias eiusdem significaciones afferemus. Sumitur enim vel late, & denotat actualem rei inharentiam, quando rem solum detinimus; adeoque & hi possessores ex eo detentores nominantur. Quales sunt procurato-

85

res, tutores, curatores, depositarii, commodatarii,
& alii. l. 18. pr. l. 49. §. 1. D. de A. V. A. P. & l. 1. §. 20. eod.
Vel sumitur strictè, & denotat jus insistendi rei, cum
animo sibi habendi. Hoc jure carent, qui possident
in priori significatione. Est autem posterior signifi-
cationis hujus loci: adeoque & possessionem describo,
quod sit jus in re insistendi rei corporali, cum affectione
sibi habendi.

Dico quod sit jus: quod quidam negarunt, quia
possessio sit facti, & in plurimis locis juris nostri ad ea
qua sunt facti referatur. Sed patet, illos textus loqui
de acquisitione possessionis, quam factum requirere
concedo. Adeoque acquirenda possessio facti erit:
non vero acquisita, de qua nobis sermo est. Hac enim
factum non amplius requirit, nisi amissa rursus recu-
peranda sit: & tunc iterum erit acquirenda. Acqui-
sita autem animo retineri potest. *Mev. cit. loc.*

Altera ratio, qua impugnant thesin nostram, illa
est, quod captus reversus recipiat ea qua sunt juris,
non autem possessionem. l. 19. Ex quib. cauf. maj. l. in
bello 12. §. 2. D. de Capt. & postlim. rev. Quos textus vo-
lunt loqui de jam acquisita possessione. Ad hoc au-
tem satis responsum est in *Dissert. Apologetica Helms-*
stadii habita, sub presidio Gleseri de Jure in re
cap. 18. §. 11. ex qua, qua ad scopum nostrum faciunt,
colligere liceat. Leges igitur intelligenda sunt de
juribus, qua ordinarie recuperantur: inter qua pos-
fessio referri nequit, Quia si semel amissa, uti in hoc
casu, quum captus ab hoste servus factus fuerit, §. 4. I.
de Jur.

§ (9) §

de Jur. Pers. qui possessionis incapax est, quum, ut infra deducetur, pro nullo habeatur, recuperari debet nova acquisitione, h. e. apprehensione.

Tertia in contrarium ratio est, quod possessio non transeat in heredes: omnia autem defuncti jura in eum transire, quia representat heres personam defuncti, certum est. Sed ratio hac fallit, ob diversitatem, quae est in jure possessionis, & in ceteris juribus; quo de pluribus infra.

Quarto negatur ab adversariis, possessionem esse jus, quia prædicationem injusti admittat. Verum quando possessio injusta dicitur, intelligitur modus acquirendi, & acquisitionis: hic autem possessioni est aliquid extrinsecum. Ac possessio jus dicitur ratione effetus; quem LL. Romana etiam injuste acquisitæ possessioni tribuunt Nam possessor, licet injuste possessionem nactus sit, melius tamen jus habet possidendi præ eo, qui non possidet, & a quo non injuste possidet, l. 2. D. Uti possid. Illuſtr. Dn. Struv. Evol. Exerc. XLII. theſ. IV. Posteriori quoque casu meliorem esse conditionem possidentis, æquitas suadet. Prædictæ igitur rationes minime obstabunt, quo minus dicamus, possessionem esse jus: quod & exinde liquet, quia possessio est jus in re; ad quod probandum me jam accingo.

§. 6.

Est scilicet possessio *jus in re*, quia producit actiones reales. Loquor autem de interdictis retinenda possessionis, quæ tantum ex possessione oriuntur. Adipiscenda & recuperanda possessionis interdicta ex possessione non dari, vel inde patet, quia

B

qui



qui interdicto adipiscendæ experitur, petit in possessionem mitti. Si autem possessionem jam haberet, absurdum esset eam petere. Quod & ipsi contraria opinionem defendantes concedere necessum habent. Nec interdicta recuperanda possessionis ex possessione esse, inde liquet, quia qui his utitur, fatetur se possessione esse dejectum, hocque modo amisisse; ipsique ab altero, quanquam injuste, ablata esse possessionem. Quo ipso constat dejicientem possidere: ipse enim dejectus fatetur possessionem dejicientis. Duos etiam eandem rem in solidum possidere, impossibile esse docet, l.3. § 5. D. de A.V.A.P. Adeoque agens his interdictis, non se fundat in possessione, h.e. jure constituto, quod facit retinendæ possessionis interdictum instituens. Quare & eadem illa interdicta non esse reales actiones, lubens concedo: retinendæ autem interdicta esse actiones tales, patet exinde, quod qui his experitur, agit cum eo, qui ipsi neque ex contractu vel quasi, neque ex delicto vel quasi obligatus est, sed de realiqa tantum controversiam alteri movet; fundans se in jure firmiter constituto. Quod secus est in actionibus personalibus §. 7. I. de Act. Deinde in l.1. §. 1. D. de superficie dicitur, melius esse possidere quam in personam agere. Quum autem inter reales & personales actiones non detur tercia species, ex jure rerum veniens: ex ista lege apparet, interdictum de superficie realem esse actionem, quia opponitur personali. Quod ad reliqua retinendæ possessionis interdicta pertinere, eadem ratio dictat: cum in his aequa ac in illo, qui agit, in possessione

sione, tanquam jure in re constituto, se fundet. l. 1. §. 2.
 §. 3. l. 2. D. *Uti possid. l. 14. §. fin. D. de Except. rei jud.* Fundamen-
 tum enim possessoriae actionis est possessio. Ba-
 chov. ad *Treutl.* vol. 2. disp. 25. thes. i. lit. C. Porro posses-
 sioni competit definitio juris in re: quia hujus forma-
 lis ratio est, quod afficiat rem intrinsecus, eique inhæ-
 reat. *Gloss. ad cap. V. de Concess. Prabend. in VI. Habs. ad*
Wesenb. de Judic. num. 4. Possessori quoque ideo com-
 petunt remedia interdictorum, quia jus quod posses-
 sor habet, rem afficit intrinsecus, eique inhæret. Cum
 autem definitio juris in re competat possessioni: com-
 petit eidem & definitum. Species ergo erit juris in re.

§. 7.


Nec evertent hanc opinionem rationes dissentientium. Nam esse jus in re possessionem, jam ex
 §. 5. constat. Eandem parere quoque actiones reales,
 itidem probatum est. Interim concedo ambabus ma-
 nibus, adipiscendae & recuperanda possessionis interdi-
 cta personalia esse: non inde tamen sequitur, idem es-
 se interdictum retinenda. Nec evincitur aliquid ex
 l. 14. in fin. de *Except. rei jud.* Neque enim interdi-
 ctum & actio realis in genere ibidem sibi opponuntur;
 sed in hoc tantummodo distinguuntur invicem,
 quod interdictum de possessione, pétitorum autem
 de proprietate sit. Ex quo minime sequitur, inter-
 dictum non esse actionem realem.

§. 8.

Multo minus veritate nescitur, interdicta omnia
 ex obligatione esse, & quidem ex turbationis delicto.
 Quum enim dico: Ego possideo, & probo hanc meam

B 2

pos-



35 (12) 36

possessionem actibus possessoris; quale hic agnoscas delictum? Nec turbantem dicere potes delinquere: quia contendit se jure facere quod facit. Turbare enim nihil aliud est, quam jus possessionis, quod alter prætendit, confundere, & sibi arrogare, & quidem quia actus possessorii produci possint. Quomodo ergo ex obligatione orientur interdicta retinenda; quum actor non in illa, sed in jure constituto se defendat, contra alterum qui simile jus prætendit? Et hoc modo, qui se fundat in jure acquisitæ possessionis, minime dicit, alterum sibi obligatum esse; sed hoc tantum vult, ut defendantur in jure quæsito h. e. possessione, & alter desistat à petitione possessionis, quam sibi competere prætendit. Quandoquidem igitur, qui turbavit actorem, negat se delinquisse; & se potius, non actorem, possidere ac defendi debere contendit: turbatio utique non erit delictum. *Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 25. thes. 1. lit. B. & F.* Præterea, utrum actio realis an personalis sit, non ex persona ejus, contra quem agitur, sed actoris æstimandum est: qui in interdicto retinenda possessionis se fundat in jure possessionis, sibi competente, uti jam dictum est. Vnde & *Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 25. thes. 4. lit. A.* ut hoc interdicatur, inquit, utile sit jus in re esse debet.

§. 9.

Porro negant, possessionem esse jus in re, aut producere actiones reales: quia interdicta retinenda possessionis non dentur contra illum, qui possidet. Hoc ipsum inde probant: quia qui agit, non petat sibi præstari ab altero possessionem, quum dicat se jam possi-

possidere; sed tantum vult, ut ille a turbatione desistat. Hanc autem rationem admodum fluctuare, vel inde patet, quia *ro dari contra possessorem*, non est genuina nota actionum realium: alias enim actiones in rem scriptae, quas tamen personales esse constat, quia dantur contra illum qui possidet, essent actiones reales. Hocque modo actio ad exhibendum, & actio quod metus causa, contra l.3. §. 3. ad Exhibend. §. 31. I. de Act. l.9. §. 8. Quod met. causa, essent reales actiones: Imò dantur interdicta retinenda contra possessores: quem conventus æque ac qui agit possessionem prætendat l.1. §. 3. l.3. pr. Uti possid. & illam probare actibus permittatur possessoris, uti iam dictum. Adeoque ex sua possidet intentione, quia habet actus possessorios.

§. 10.

Nec denique hoc movebit, quod actiones reales dentur iis, qui non tenent rem, contra illos, qui tenent, idque ad hoc, ut reddant, restituant. §. 1. & 2. I. de Act. Istæ igitur actiones, sive judicia, petitoria sint oportet: quod de possessione dici non posit. Sed nego, omnia jura in re debere esse petitoria: & do instantiam in possessione, quamvis in re esse, realesque producere actiones ex communi DD. opinione per supra dicta probavi. Sic enim & in servitute tantum se fundat, qui jus servitutis constitutum habens, confessoria actione experitur. Non enim petit, sibi restituiri & reddi servitutem, sed pronunciari, ut reus à turbatione desistat, nec amplius actorem in libero servitutis usu impeditat. Schneider. ad §. 2. I. de Act. n. 28.

B 3

Servit-



Servitus autem jus in re est, quia ita vocatur *l. 13. §. 1.*
l. 15. pr. de damn. infect. Eandemque & actionem realmem producere, probat *§. 2. 1. de Act.* Quibus & addi potest Oldendorp. *Class. 3. act. 4.* Atque hoc modo evictum esse puto, possessionem in esse deductam, & quatenus se fundat in jure constituto, esse jus in re.

§. 11.

Dico in definitione: *insistendi rei.* Quo ipso demonstratur, possessionem acquisitam non amitti, si animo adhuc posideatur res. Insistere enim, uti jam supra dictum, non notat actum illum corporalem, cum corpore rem teneat, & in illa moror: alias qui animo possidet, non possideret. Quod sane non dicendum est. Occupatis enim dominiis per possessionem rerum, ac regionibus, illi qui semel actu corporali possessionem nacti erant, omnibus locis, quæ acquisiverant, simul quidem insistere non poterant: nequaquam tamen per hoc possidere desierunt. *Habn. disp. de Jur. Rer. cap. VI. conclus. 60. num. 2.*

§. 12.

Dico: *rei corporali;* quia incorporalium non vera, sed improppria datur possesio. Incorporales enim res vere non possideri, nec tradi posse, proinde & patientiam loco traditionis esse vult *l. 3. de Usufr.* Ac licet is qui usumfructum habet, videatur naturaliter possidere, *l. u. de acq. poss.* non tamen rem ipsam exinde proprie eum possidere sequitur. Usufructarius enim quatenus talis est, non sibi, sed aliis, nempe domino possidet: tantumque eum in finem, ut libere possit jus ususfructus exercere, permititur ipsi certis

tis casibus possessoriorum interdictorum usus; quæ alias non nisi vere possidentibus accommodantur. Ideo autem res corporales adæquatum possessionis sunt objectum, quia possessio per apprehensionem acquiri debet, & incorporales res, utpote quæ contingi non possunt, corporaliter nec detinentur, nec apprehenduntur. l. 3. de acq. vel amitt. poss. l. 4. §. 27. de Uſſe cap. & usurp. Deficit enim in incorporalibus aptitudo recipiendi formam possessionis: quod positionem corporis in acquirenda ea non admittunt, d. l. 3. Vnde & jus incorporale possideri negatur. d. l. 4. §. 27. l. 32. §. 1. in fin. de serv. urb. prad. Impropiæ autem tales res possideri ideo concedo, quia & pro juribus incorporalibus interdicta habemus: quod jura illa, ratione efficiuntur, quasi possideri dicuntur. l. 23. §. 2. ex quib. caus. maj. l. 10. l. serv. vīnd. l. 3. §. 17. de vi & viarm.

§. 13.

Dico: cum animo sibi habendi. l. 67. pr. de furt. l. 3. §. 1. D. de acq. poss. l. 3. C. eod. Qui animus & affectus possidendi dicuntur. l. 3. §. 3. D. de acq. poss. cum quis suo jure rem vult habere. l. ult. de Itin. act. priv. Isque animus semper spectatur, præsertim in questione admissionis. Eum tamen sufficere ad retinendam possessionem, & mutato hoc animo possessionem amitti certum est l. 18. de acq. poss. Præsumitur vero animus hic mutatus, si quis uti volens possessione prohibetur, & taceat. Merv. c. l.

§. 14.

Quo ipso patet, requiri animum solum possidendi, non præcise simul opinionem dominii, ut

Do-

Donellus tamen putat: cum quidam vere possideant,
l. 13. §. 1. de publ. in rem. l. 42. §. 1. de noxal. act. l. 7. §. 4.
Commun. divid. qui tamen affectu dominii non te-
 nent. Addatur. *l. 12. §. 1. de acq. vel amitt. poss.* Deinde &
 per prohibitionem, & sequens silentium, posses-
 sio amittitur: quia animus derelinquitur rem sibi ha-
 bendi, *Mev. d. l. non æque amittitur dominium.* Hoc
 enim rem sequitur, & ea existente simul perdurat. A-
 liud quoque est possessio, aliud dominium. *d. l. 12. §. 1.*
l. 3. §. 3. Uti. possid. d. l. 22. §. 1. de noxal. act.

§. 15.

Dividitur possessio varie; sed hoc loco notissi-
 mam illam, qua vel naturalis vel civilis dicitur, con-
 siderabimus. Fundatur autem in *l. 1. §. 1. de vi & vi arm.*
l. 3. §. fin. ad exhib. *l. 2. §. 1. pro hered.* *l. 22. §. 1. de No-*
xal. act. & aliis legibus, ubi naturalis & civilis pos-
 sessio sibi opponuntur. Per naturalem quoque intel-
 ligi alteram, quæ civilis vocatur, prohibet *l. cit. 3. ad*
exhib. Hoc verum est, ad acquisitionem civilis posses-
 sionis, naturalem requiri; cum possessio sine acquisitione
 non transeat, nec ullo modo haberi possit: atta-
 men in esse producta civilis possessio, à naturali distin-
 gui debet. Dominium enim à possessione quidem
 cœpisse supra probavimus: hoc tamen & possessionem
 diversissima esse quivis concedat.

§. 16.

Naturalis possessio est *jus inßtendi rei corporali,*
cum animo sibi quidem habendi, sed non opinione domi-
nii. Adeoque affectio rem habendi, sed circa tamen
 animum dominii, forma est naturalis possessionis. *l.*

13.

§§ (17) §§

I. 13. §. 1. de publ. in rem. Naturalis possessor animum
dominii non habet; quia scit rem suam non esse: ha-
bet tamen animum rem sibi habendi; quia id quod
possidet, quodam modo & ratione suum esse vult.
Habn. de Jur. rer. conclus. XLII. n. 6.

§. 17.

Civilis possessio dicitur *jus insistendi rei corporali*,
cum animo dominii: eademque effectum dominii ha-
bet, hoc est, titulum dominii translativum. Aut e-
nim, qui prior possedit, fuit dominus; & posterior ac-
quisita re itidem dominus fit: aut alter dominus non
est; & in posteriorem transit conditio usucapiendi,
id est acquirendi dominii. *Id. Habn. c. 1. concl. XLI.*
Sic ergo civiliter possidet, (1) Qui est dominus; hoc
est, qui revera dominium cum possessione acqui-
vit. I. 1. §. 2. *Uti possid. I. 3. §. 21. de acq. poss.* Civilis e-
nim possessio non est, quæ à jure civili solum appro-
bata est: quia & naturalis possessio LL. civilibus, uti
dictum, approbatur; quam tamen à civili differre jam
constat. (2) Qui factum habent dominium, & sunt in
conditione usucapiendi: quales sunt, qui pro suo,
pro herede, pro cimtore, pro legato, pro donato,
pro derelicto, possident, arg. pr. I. de Usucap. §. 4. I.
de adl. I. 136. de R. J.

§. 18.

Finis possessionis est, uti frui posse commodis
possessionis. Consistunt hæc maxime in eo, quod (1)
Onus probandi à possessore in adversarium transfertur:
cum pro illo militet præsumtio, adeo, ut licet res
possidentis non sit, hocque probatum sit ab adver-
sario,

C

sario, modo non probaverit rem suam esse, remaneat in suo loco possessio. §. 4. I. de Interd. (2) Quod possessor titulum possessionis allegare non teneatur. l. u. C. de bered. petit. Quod secus in dominio: quia hoc sine causa nunquam ad nos pervenit, l. 3. de acq. rer. dom. quisque autem sine causa possidere potest. l. 3. §. ex contrario. de acq. vel am. poss. (3) Quod duobus de Principatu contendentibus, vasallus homagium ei, qui possidet, præstare debeat: ex hac ratione, quod ex possessione dominium arguatur, l. 8. §. 3. si serv. vind. Adeoque & possessori tamdiu servitia præstanda erunt, donec in petitorio aliud deductum. l. 2. C. de probat. (4) Quod nemo sine causa cognitione privari possessione debeat, licet hæc sit injusta. Perillustr. Dn. B. de Lynck. in Anal. Inst. 2. tit. 2. §. 1. cum & prædo in sua possessione tuendus, l. 7. C. de vi & vi arm. nec sine cognitione quisquam suo jure privandus sit. Propter salutem scilicet publicam: quæ si cuivis liberum esset, propria autoritate rem suam pro iubitu vindicare, turbareatur facile, sequuntur sæpius tumultibus, cædibusque, dum qui vim perpessus est, eam vi repellere nititur. Quapropter & ii, qui propria autoritate suas res vindicant, puniuntur: quod videmus in casu vi bonorum raptorum. Si enim propria res est, vindicans sive rapiens privatur dominio: sin aliena, restituta re insuper estimationem præstabit. §. 1. I. de vibon. rapt. (5) Quod possessio immobilium, uti plurimi Doctores volunt, suspicionem fugæ tollat. Sed puto hoc fieri non propter solam

§(19) §

Solam & simplicem immobilium possessionem; verum quod res immobiles sint in bonis ejus, ut facile in eas executio fieri possit: nec ideo unice à cautione quis excusat, quod de fuga non sit suspectus; sed quia habet, unde creditoribus satisficeri queat. Alia commoda possessionis nunc prætereo.

§. 19.

Subjectum possessionis consideratur, illi tantum acquirendæ, retinendæ, & recuperandæ possessionis capaces sunt, qui possunt animum habere, sibi aliquid habendi. Duos autem simul, eodemque modo & qualitate, rem eandem possidere non posse, liquet ex l. 3. §. 5. de acq. del. am. poss. Ubi dicitur: contra naturam quippe est, ut cum ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris, & ut tu in eo loco stare, in quo ego sto, vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris. At possunt omnino duo eandem rem possidere modo diverso; quod in d. l. haud negatur. Sic una eademque res, ab altero naturaliter, ab altero civiliter posideri potest. Quis enim negabit, creditorem rei sibi oppignorata natu- ralem habere possessionem; debitorem vero eandem rem civiliter possidere? Debitor enim insistit rei cum animo dominii; creditor non nisi in securitatem crediti. Animo sibi habendi quidem, sed jure pignoris. Creditorem quoque civiliter non possidere rem oppignoratam, inde patet, quia rem non potest usucapere, propter malam fidem. l. 16. de usurp. Qui autem civiliter possidet, animo utique dominii possidere debet. Atque sic intelligenda l. 3. uti possid. Quod non evertit Borcholt. tratt. de acq. poss. cap. 6.

C 2

n.



n. 18. cum dicit: Ulpianum non decisive, sed tantum narrative Sabini opinionem proferre. Sed decidere Ulpianum quæstionem controversam, verba ejus sa-
tis docent: si duo, inquit, possideant in solidum, videa-
mus quid sit dicendum, quod qualiter procedat, trahet-
mus. Quod si enim duntaxat referret Sabini senten-
tiam, eam isto modo nec approbaret, nec reproba-
ret, adeoque Ulpianus nihil plane statueret.

§. 20.

Possessionem jam sine acquisitione nemo adipi-
scetur: maxime enim insunt ei, quæ facti sunt, adeo-
que nec sine facto obtinebitur. Quia autem facto
conventus esse debet animus sibi habendi: sequitur
hinc, servum possessionem fibi non posse acquirere,
quod jure nequit habere animum rem sibi habendi.
Neque infans aut furiosus acquirent: quia carent
intellectu, §. pupillus. de inutil. stipul. consequenter
animo sibi aliquid habendi l. 3. & 8.D. de acq. poss.

§. 21.

Et stricto jure infans possessionem adeo non ac-
quirit, docente l. 1. §. 3. l. 32. §. infans D. de acq. vel
amit. poss. ut ne quidem tute autore id fieri possit.
Tutor enim autor non fit, nisi ejus, quod geritur:
infans autem nihil gerit, cum non sentiat. d. §. pupil-
lus. de inutil. stipul.

§. 22.

Utilitatis tamen causa receptum est, infanti pos-
sessionem acquiri tute autore. d.l. 1. §. 3. & l. 32. §. 2.
de acq. vel am. poss. Et hoc ideo, quod aliqualis sit
infanti, de quo d. LL. loquuntur, intellectus: alias enim
pu-

pupillus etiam tutore autore se non posset obligare.
 Autoritas vero tutoris est confirmatio negotiorum à pupillo gerendi, supplens defectum in eo intellectus. Si vero nullum plane haberet intellectum pupillus, negotium gerere non posset, adeoque nec tutoris auctoritate obligaretur in contractibus bilateralibus.
 Quod contra pr. *Infl. de Autor. tutor.* Secus est in furioso: cui ob hoc ipsum, quod plane nullum intellectum habet, possessio ullo modo acquiri nequit. Quod si ipsi infanti possessio sit tradita, sine tutoris autoritate: illa non acquiritur, ne ex benignitate quidem, sive utilitatis causa: quia nec plene adest in infante animus sibi habendi, nec suppletio defectus ex tutoris autoritate.

§. 23.

Exceptionem ab hac regula habemus in *I. 3. C. de acq. poss.* ubi rei donatae ac traditae possessio acquiritur infanti, licet tutoris autoritas non adfuerit. Neque enim distinguit Imperator, autore tutore, an sine eo donatio & traditio facta sit. In quo omnino receditur à d. *I. 32. §. 2.* & novi aliquid constituitur: quum alias peculiari constitutione nihil opus fuisset, quod jam antea certum esset, tutore autore possessiōnē rei traditae posse ab infante acquiri. In re donata, cur tutore autore opus non sit, peculiaris hæc ratio est, quod donatio merum lucrum continet: proinde infanti semper prodest, ut non requiratur deliberatus valde consensus. Facit etiam adducta ratio, ut d. *I. 3.* ultra casum rei donatae non debeat extendi. *Gipham. in Explanat. difficil. ad I. 3.C. de acq. poss.*

C 3

§. 24.

D S E

Ex his constat, acquiri debere possessionem, nec sine acquisitione, & animo sibi habendi, obtineri, aut dici eam posse in quemquem transire. De infante vidimus: cuius quantillus sit intellectus & animus rem traditam sibi habendi, non tamen plane nullus est; & tantummodo suppletur, vel a tute, vel ut in donatione, ab ipsa lege. Natura autem impossibile est, possessionem sine ullo plane facto apprehensionis, quæ continet animum sibi habendi, transire; *Illustr. Dn. Struv. in Evolut. Exerc. XLII. Thes. ib.*

Pariter nec transit in heredem. Possessio enim defuncti, morte extinguitur: eo quod mors omnia solvat. Possessio enim est facti; & quamvis animo retineatur; ille tamen animus non æque, ut jura, in successorem transit, sed cum vita possidentis exspirat: quare denuo & corpore & animo ab herede est acquirenda. *I. 23. pr. I. 30. de acqu. vel amitt. poss. Cap. parricid. II. Resolut. cap. 5.*

Durum autem videtur possessionem non transire: heres enim personam defuncti sustinet, & repräsentat, ut ideo, & quæ defuncto quasi juncta erat possessio in heredem descendat, sive repräsentet heres personam defuncti, & ut possessorem. *I. cum miles 30. pr. D. Ex quib. caus. maj.* Ergo omnia jura in heredes transmittuntur: nec solum quæ tempore mortis defunctus actu habuit; sed & quibus uti, quæque exercere potuisset, si vixisset. *I. 34. C. de inoff. mo-*

11.

8

§. (23) 58
modo in persona defuncti fuerint radicata... Hisce
itaque juribus comprehendi videtur etiam possessio.

§. 27.

Sane hereditas defuncti, si agnita fuerit, haud
dubie translat in patrimonium heredis: est enim suc-
cessio in universum jus, quod defunctus habuit; adeo-
que & commoda defuncti & incommoda heres ha-
bent. Quod exinde appetat, quia semel adita he-
reditate, heres etiam ultra vires hereditatis tenetur:
qui enim semel heres factus est, sicut personam de-
functi representat, ita tenetur ad omne id, ad quod
defunctus tenebatur. Unde est, quod separari o-
lim non potuerint actiones hereditariae directae
ab heredis ossibus, donec ex aequitate utiles
actiones in fideicommissarium darentur. Idque
ideo, quod fideicommissarius commoda ex here-
ditate capiebat, herede restituente, nihilque re-
tinente. Quare eundem & incommoda capere vo-
luit SCtum Trebellianum. §. 4. & DD. ad eum. l. de
fideicommis. hered.

§. 28.

Ius defuncti consecutus heres additione heredi-
tatis, obligatur creditoribus, & aliis, qui defuncto
obligati erant, sibi obligatos habet. Et quamvis
aliqui velint, ipsum teneri ex quasi contractu, quia
adeundo hereditatem, cum creditoribus quasi con-
trahat: contraria tamen sententia magis arridet, ob-
ligari eum ex contractu, quem creditores cum de-
functo iniere, propterea, quod heres & defunctus
conseantur una persona. Carp. lib. VI. tit. 3. resp. 28.

11. 2.



n. 2. & Part. 3. dec. 292. n. ii. Adeundo enim hereditatem, tacite declarat, se velle suscipere in se personam defuncti; ut postea non tam spectari debeat ex facto suo, tametsi sine eo non obligaretur, quam quatenus representat defunctum. Quæ representatio legatariis & fideicommissariis parum profuerit: neque enim defunctus ipsis obligatus fuit. Quare hi nihil aliud habent, quo nitantur, quam factum additionis, id est, quasi contractum. Qui dissentiant, additionem in se spectant, ut quasi contractum. Igitur & quasi contrahere cum creditoribus defuncti censerur heres. Verum utut hoc admittatur: nota tamen quasi contrahit duntaxat de solvendis defuncti debitis, sed plane de suscipienda in se defuncti persona. Ergo postea agunt creditores ex vero contractu, qui cum defuncto erat initus, tanquam adversus defunctum ipsum. Ratio actionis est: quia heres es, id est, quia defunctum representas. Representas autem ex tuo facto, hincque fluente tacito consensu.

§. 29.

Eadem representatio, qua heres personam defuncti gerit, efficit, ut jura heredis cum defuncti iuribus confundantur; e.g. si heres defuncti sit creditor vel debtor. Nemo enim sui ipsius creditor & debtor esse potest: adeoque confusio erit modus tollendi obligationes. l. 75. l. penult. de solut. Imo non solum obligationes, sed omnia jura heredis & defuncti confunduntur, ut unum sit utriusque patrimonium. Merv. Lib. VI. tit. 30. dec. 40.

§. 30.

Exinde quoque evenit, ut servitutes confundantur: nemo enim servitutem debere, & ejusdem jus activum simul habere potest. Propria res nemini servit. Hereditas autem, ubi semel acquista, talis esse desinit, & heredis patrimonium fit, & sic heredis res propria. *Mev. l. III. t. 31. dec. 3. ed. noviss.* Quod adeo verum est, ut si v.g. ædes Caji debebant servitutem ædibus Sempronii, & Sempronius Cajo succedat, postea venditis Cajahis ædibus, servitus Sempronianis non amplius debeatur; sed illæ liberae veneant, nisi nominatim servitus imponatur. *L 30. D. de serv. urb. præd.*

An autem obtinebit & hoc, ut servitus confundatur, si quis hereditatem inventarii beneficio adiicit? Affirmandum videtur: quia heres cum inventario unicus heres est; ut ideo jura defuncti & propriæ que confundantur. Imo dominium ipso jure in heredem cum inventario, que ac in heredem sine inventario, transfertur: quum nulla ratio diversitatis id prohibeat. Servitutem ergo extingui sequitur: quia idem utriusque prædii dominus esse cœpit. Quo ipso confundi servitutem necesse est; propria enim res nemini servit.

Sed contraria sententia mihi & verior & æquior videtur: quia, qui cum inventario hereditatem adit, propriæ heres non est; cum hoc casu non censeatur adita hereditas. *Carpz. part. i. dec. 25. n. 30.* Inventarium etiam satis animum, bona defuncti à patri-

5 (26) 5

monio heredis separandi, innuit: cum nemo hereditatem damnosam & periculosam cum propriis bonis confundere velle presumatur. Quo ergo haec conservet, illa per inventarium separat, ut creditoribus defuncti, ius suum urgentibus, solvantur aut cedantur. Et ponamus, ex principio supra adducto tolli servitatem: ex aequitate certe dicam reviviscere servitatem, praedio defuncti serviente creditoribus tradito. Damnum enim accipere heredem sine ulla culpa sua; & dum beneficio inventarii, legibus in eo sibi faventibus, utitur, idque non in creditorum præjudicium, sed ne ipse alienis debitis oneretur: officium, quod universis creditoribus præstat aditione hereditatis, eum luere, cum jactura servitutis sibi debitæ, iniquissimum omnino foret. Sane isto modo nemo hereditatem, ex qua non tantum lucrum nullum, sed insuper & damnum sentire deberet, esset aditus: quo ipso voluntates ultimæ peribunt, nullo herede existente; ad quas tamen conservandas, quantum potuerunt remedium, iura Romana dederunt.

§. 33.

Si autem heres sine inventario adiverit hereditatem, omnino confundi servitutes necesse est: ideoque & fundus defuncti, in quo heredi servitus competit, Cajo legatus, stricto jure liber debet tradi. Sed bona fides tamen postulat, ut patiatur legatarius servitatem fundo iterum imponi: quoniam ipso effectu perinde est, ac si fundus ille pars hereditatis non fuisset. Hinc Papinianus l. 18, de servitut. In omnibus, ait servitutibus, que aditione confusa sunt, dol-

ex-

exceptionem nocitaram legatario, si non patiatur eam iterum imponi. Quod autem diximus de legato, verum arbitramur, tam in puro, quam conditionali, quoniam heres & puri legati aliquo momento est dominus. Eo ipso autem momento, quo quis praedii servientis dominus fit, confunditur quoque servitus. Nec obest nobis distinctio, in confusionem perpetuam & temporalem, quod ad legata attinet: nam & qua non sunt perpetuae, sed temporariae acquisitiones, juris effectus habent, docente Capoll. in tract. de servit. p. m. 381. n. 3. § 4.

§. 34.


Porro representatio efficit, ut heres rem mala fide a defuncto possessam, nec ex sua persona possit usucapere: neque bona ejus fides superveniens sustinet usucaptionem. Representat enim heres, defuncti ut personam, ita & vitium. Sive regula, heredem ejus juris esse, cuius defunctus fuit; efficit, ut virtutes & virtutia, qua in defuncto erant, transeant in heredem. Perez. in Erotet. Inst. Imp. lib. 2. tit. 6.

§. 35.

Archissimam heredis cum defuncto cognitionem vidimus: vi cuius omnia jura quae non sunt personalia, in illum a defuncto transeunt. Quare & possessio videbatur transmitti. Verum peculiaris natura possessionis, quam supra exposuimus, & diserta jura, in primis l. 23. pr. D. de acq. vel amitt. poss. non patitur, ut idem statuamus. Videatur & Perillusfr. D. B. de Lynch. Dec. 1352. Neque obstat porro l. 30. Ex quib. caus. maj. quod ea non de possessione, sed, ut Dionysius

D 2

Gottha-



Gotfredus notat, de usucapione loquitur. Præterea concedo, apprehensa re, quasi junctam cum possessione heredis, transire defuncti possessionem, & esse membrani quasipossessionis continuationem: ut, quod ad effectum juris attinet, censeatur defuncti, & heredis, una eademque esse possessio: attamen sine apprehensione, sive acquisitione rei, heres possessionem vere non consequitur. Videatur *Perillus*. *D. B. de Lynck.* *Dec. 382.*

§. 36.

Hæc de herede in genere: Jam ad suum heredem veniamus, in quem itidem sine acquisitione transire possessionem negamus. Neque enim qualitas heredis facere potest, ut natura possessionis immutetur. *Perillus*. *D. B. de Lynck. dec. 57.* Quicquid in contrarium statuat *Accursius*, eandem hic dominii & possessionis rationem esse existimans: quia scilicet persona patris & filii una persona censeatur in *I. insuis. ii. de liber. & possib. & §. sui & necessarii* heredes *z. I. de her. qual. & diff.* Nam licet dominium ipso jure in liberos transire, recte hinc probari largiamur: illud tamen inde fit, quod vivo patre filii quodammodo sunt domini bonorum paternorum; ut post mortem ejus duntaxat administrationem accipient. *I. insuis ii. d. t.* Dominium etiam acquisitionem, sive apprehensionem nullam requirit: & heres quoque extraneus ipso jure potest esse dominus. Qui itidem defuncti personam, & que ac patrem filius representat. Satisque, de dominio quod diximus, probatur *arg. I. 18. de servituz. & I. 23. de acq. vel amitt. poss.*

Ac

Ac ratio est, quod dominium in solo jure consistit; possessio, si initium spectes, est facti.

§. 37.

Hinc sequitur, ut nec suo heredi dentur interdicta, retinenda possessionis: cum possessionem nullam habeat, & interdicta ista ex possessione oriuntur. Interim jus possidendi, sive possessionem apprehendendi, ipso jure in suum heredem, & alios quoque transferri posse, & vere transferri, haud nego: at jus illud a possessione ipsa multum differt. *Perilluſtr.*
D. B. de Lynck. in Anal. Inst. 4. tit. 15. §. 2. Pariter suus heres nec recuperandæ possessionis habet interdictum, ex eodem fundamento. Ponit enim hoc possessionem jam amissam: at amitti nequit, nec spolio auferri, quod quis nondum habet. Et spoliatus probare debet, tempore spoliationis possessorem se fuisse. Vid. *Gaii. lib. 2. obs. 152. n. 2. cum ibi allegat. text.*

§. 38.

Hoc ipso patet, si avia in testamento Cajum, filium, & ex defuncto Sempronio nepotem, heredes instituat, Cajoque fundum ita præleget, ut eum sibi solus habeat: salvis juris regulis dici non posse, unicunque fundus soli Cajo sit relictus, possessionem hujus fundi, &que in nepotem ac in Cajum transire. Nam ne in hanc quidem transit, sine ullo facto apprehensionis. Multo minus verum est, interdictum retinenda possessionis alterutri competere. Quo enim jure dicant, se in possessione turbatos esse, quam nunquam apprehenderunt, adeoque nec habent. Ne-

D 3

que

que Glossa per *l. in suis 11. D. de lib. & possib.* contrarium evincit: cum lex ista de dominio, & ejus transmissione, non de possessione, loquatur. Non autem est interpretis, aut de alio facere loquentem legistorem, quam quod diserta verba preferunt; aut argumentum ex lege petere a diversissimis, qualia sunt dominium & possessio. *Iason & DD. alii*, quantæ quantæ sint autoritatis, non valent contra manifestas leges, aut manifestam rationem legum. Et erubescendum est Jureconsulto, sine lege loqui: quid facere eum oporteat, si loquatur contra legem; nimur contra *l. 23. pr. de acqu. vel. amit. poss.* ejusque rationem. Mancet igitur firmissimum hoc fundamentum, possessionem sine facto apprehensionis, etiam in heredem suum non transire: quia talis transitio contra naturam est possessionis; quam suitas heredis non mutabit. *Per illiusfr. D. B. de Lynck. in alleg. dec. 57.*

§. 39.

Præterea, filium possessionem rei paternæ ita habere, ut eo momento, quo pater moritur, sola ad illum administratio transeat, nequaquam defendi potest. Unius enim rei duos possessores simul, eodemque modo, non admittunt leges. Et pater quidem neque naturaliter tantum possidet; quia possidet animo dominii: nec civiliter tantum; quia rei corporaliter insitit, animo sibi habendi. Qualem ergo possessionem habeat filius, nisi civilissimam velis appellare? At hanc *DD. ajunt esse*, quam quis defuncto possessore, ex statuto vel moribus habet, sine apprehensione. Nusquam autem statutum reperitur,

vive

41.

§ (31) §

vivo patre filium possidere, aut transire possessionem
in filium. Glossa etiam ad §. *sui & necessarii* beredes
2. *I de hered. qual. & differ.* de continuatione & trans-
missione dominii, ac ne verbo quidem de possessione
agit: neque, vel per argumentationem, esse hanc men-
tem ejus, ut in possessione idem locum habeat, do-
cueris.

§. 40.

Ad l. *cum miles 30. D. ex quib. caus. maj.* jam su-
pra responsum est: tametsi certo ponas, de posses-
sione ibi agi (quod tamen Gothofredus in notis ne-
gat, substituens loco possessionis verbum usucaptionis)
intelligendam esse possessionem, quæ per apprehen-
sionem jam fuit acquisita. Priusquam enim heres ap-
prehendit possessionem, rem ab eo non possideri sa-
ris probavimus. Quæ apud Dionysium Gothofredum
leguntur, in notis ad d. l. non ipsi sunt tribuenda,
ac si eadem statuat; sed referuntur duntaxat, ut opi-
nio quorundam, discrimen hic facientium inter he-
redem suum & extraneum. Ipse Gothofredus *a. l. de*
usucapione intelligit, sententiamque suam confir-
mat, *l. 40. de usucap. & usurp.* & maxime *l. 23. pr. de*
acqu. vel amit. poss. quæ diserte ait, sine apprehensione
possessionem in heredem non transire. Quæ lex,
quia generalis est; & quia eadem ratio in suo, quæ
in extraneo herede invenitur: haud dubie Gotho-
fredus, possessionem ipso jure transire, nisi quod de
jure Gallicano monitum adjicit, non censet.

§. 41.

Nequaquam etiam huic opinioni patrocinatur
Carpz. part. 3. dec. 225. n. 18. quasi ex ejus sententia,

tam

§ (32) §

tam jure communii, quam Saxonico, ad extraneum,
etsi nondum ipso actu adiverit hereditatem, actua-
lis possessio transeat. Neque enim heredi aliud,
quam jus possidendi tribuit: hoc autem non esse ip-
sam possessionem, supra monitum est. Certe si aliud
statuat, valde eum fluctuare necesse est. v. Perillust.
D. B. de Lynck. dec. 57.

§. 42.

Quin etsi in suum heredem ipso jure transeat
possessio: in matris tamen, aut avia, filio ac nepote
id locum non haberet: quia nulla femineo sexui
patria potestas competit, quæ una cum proximitate
requiritur, ut quis efficiatur suus heres. §. 2. I. de be-
red. que ab intest. defer.

§. 43.

Sed quid de heredibus feudalibus dicendum est?
Neque in hos transire possessionem putamus:
licet Feudorum interpretes in partem adversam incli-
nent; nixi autoritate Glossæ, quam vulgo adproba-
tam esse volunt, in cap. 1. §. fin. de feud. cogn. Ubi
sub finem dicitur, filios patri succedendo non acqui-
rere, sed potius capere jam acquisitum: quia succe-
dant jure per investituram quæsito, ut filio vivo pa-
tre non desit jus, sed tantum administratio. Verum
nostram sententiam optime defendit Gail. lib. 2. obs.
152. non solum patrimonialium, sed & feudalium re-
rum possessionem docens factum filii, hoc est, appre-
hensionem, requirere, ut in eum transeat. Itaque
ex eodem principio nec competit tam suo, quam
qui moriente patre extra potestatem patriam est,

interdicta retinendæ & recuperandæ possessionis.
Gail. d. l. n. 2. Accursii etiam opinionem, pos-
 sessionis transitionem statuentis, reprobatam esse, te-
 statur *Gail. ibid. num. 11.* cum *DD. alleg.* Et Gai-
 lii sententia, teste eodem, in Camera obtinet, distin-
 ctione facta inter jus possessionis & ipsam posses-
 sionem.

§. 44.

Glossa etiam, cuius meminimus, pariter ut Glos-
 sa juris Romani, si accurate considereretur, de dominii
 continuatione loquitur, non de possessione. Et ipsi
DD. qui *d. cap. de feud. cogn.* statuunt, in feudo antiquo
 non opus esse, ut filius in possessionem mittatur,
 cum eam jam habeat; concedentes in feudo novo ap-
 prehensione opus esse: utique restringunt allegatam
 Glossam. At vero Zasius, ne in feudo quidem anti-
 quo, illam *DD.* sententiam aliter admittit, quam si
 filius in feudo paterno, quod plerumque contingit,
 præsens sit: quia tunc non opus sit, tradifilio posses-
 sionem rei, in quam ei jus possessionis jam compe-
 tat. Unde & hoc casu antiquam investituram tantum
 confirmari censet. Si autem non sit præsens, posses-
 sionem, nisi apprehendatur, ab eo non continuari
 statuit.

§. 45.

Jam porro, quæ diximus, extendi debent etiam
 ad constituti possessoriū casum: ut ex eo possessio non
 transeat, sive, cui jus possessionis constitutum est,
 ipsam possessionem non consequatur, nisi appre-
 hensione

E

sione acquisiverit. Illius enim respectu acquirendam adhuc est; quod sine facto non sit. Neque sequitur utique concedi debere, constituentem amittere possessionem, per l. 18. de acq. vel amit. poss. Ergo per constitutum possessorium veram & realem possessionem transferri. Perillust. D. B. de Lynck. dec. 187. Literæ enim, instrumenta, verba, non sunt habilia ad minicula transferendi possessionem. Merv. lib. 7. tit. 32. dec. 3. edit. noviss.

§. 46.

Sed faciamus, constituto possessorio, dum possessionem amittit constituens, & alter eandem non apprehendit, interea alium eam intrare: utrum hic in conditione usucapiendi vel præscribendi ponitur? Omnino tanquam vacuam occupat: neque, licet in mala fide sit, rei immobilis furtum facit; & jure Romano mala fides non obstat omni præscriptioni. Multo magis itaque locum habebit usucapio, aut præscriptio, si bona fide possessionem occupaverit. vid. §. 2. l. de Usucap.

§. 47.

Iidem neque ex re judicata possessio transit: quia per sententiam victor possessionem non nanciscitur; sed illa tantummodo titulum tribuit, quo vicitur fretus, jus sibi adjudicatum exercendo, rem propria autoritate apprehendere posse.

non ostendit. §. 48.

Sicut vero, ut hactenus docuimus, ad acquirendam possessionem apprehensio necessaria est; ita si quis

quis partem duntaxat apprehendat, modo vacua sit totius rei possessio, totam quoque acquires; neque enim necesse est, ut quis omnes terra glebas circumeat. *I. 3. §. 1. de acqu. vel amitt. poss.* Addatur *Illustr. Dn. Struv. in Evolut. Exerc. 42. 16.*

§. 49.

Denique, quod ad mores hodiernos attinet, plurimi DD. volunt, ex statuto posse in heredem, si ve suus sit, sive extraneus, aut feudalis, ipso jure transire possessionem. Quorum sententia tamen ipsa natura possessionis repugnat; ideoque nec per legem effici potest, ut sine heredis facto in eundem vere transeat *I. 30. §. 3. de acqu. vel amitt. poss.* Quare dicendum est, juri possidendi, sive possessionis capienda; quod haud dubie sine ulla apprehensione, & ipso jure in heredem transit; effectum acquisitæ per factum possessionis statuto tribui. *Illustr. Dn. Struv. in Evolut. d. Ex. XLII. thes. 17.* Quo pacto heres possidere dicetur non formaliter; quod fit apprehensione: sed fictione juris, sive effectu, respectu effectus.

§. 50.

Id ipsum, quod diximus, etiam praxi firmatur. Heredem enim hodie quoque in possessionem mitendum esse, probat *Carpz. lib. 6. tit. 2. resp. 20. n. 1.* *It. lib. 6. tit. 1. resp. 4. n. 6.* Si autem possessio ipso jure transiret: absurdum foret, quam heres possessionem jam habet, in illam eum adhuc immitti.

E 2

§. 51.



Restant *remedia*, quibus possessio defenditur,
nempe interdicta retinenda possessionis. De quibus
per occasionem supra jam monuimus: quumque illa
ipsa ad transitionem possessionis, de qua ex instituto
egimus, nihil faciant, mittemus id argumentum,
ut alienum, finemque labori nostro, gratias
summo Numini de auxilio præstito agen-
tes devotissimas, imponemus.

SOLI DEO GLORIA.



Jena, Diss., 1707 A-V
X 2396251

DISSERTATIO JVRIDIC
DE
POSSESS
NON TRANS

GRAM
ANNVENTE DIVIN
RECTORE MAGNIFI
SERENISSIMO PRINC
DN. GVLIELMO
DVCE SAXONIÆ, JVLIACI, CL
ANGARIE ET WESTPHAL
EX DECRETO ILLVSTRIS FAC
IN ALMA SA
PRÆSIDE

DN. IO. PHILIPPO

CONSILIARIO SAXONICO, ET AN
TIS JVRIDICÆ ET SCABINATVS
CVRIÆ PROVINCIALIS AS
VISSIMO

PRO LICEN
SVMMOS IN VITRO QVE IVRE H
CONSEQUEN
PVBLICO ERVDITORVM EXAM
IOH. ADAM. C

SCHMALCALD. H
D. Mart. M. D

I E N Æ,
Stanno MVLLER

B.I.G.

